C

NOMINA.

Milium solis.

Lithospermon unde dictum.

ΙΘΟΣΠΕΡΜΟΝ Græcis, Lithospermum Latinis, officinis & medicis hodie omnibus Milium solis appellatur. Germanis Meerhirß/ oder Steinsomen. Nomen à lapidea seminis duritia accepit: neque enim Lithospermon aliud sonat Græcis, quàm lapideum semen. Quum itaque semina tanquam calculos ferat, candore & rotunditate margaritarum, duritia uerò lapidea, cõmodissima uoce Lithospermon dictum est. Milium uerò solis recentioribus nominatum puto, quod semen eius candore solis & lucis splendore fulgeat.

FORMA.

Folia habet Oleæ similia, longiora tamen & latiora, & quæ in ima parte sunt, humi iacent. Ramulos uerò rectos, tenues, crassitudine lunci acuti, solidos, lignosos q̃. In quorum cacumine bifidi diuaricatiq; exortus, cauliculorum speciem exhibent longa habentes folia, inter quæ semen lapideum, rotundum, paruum, eruo æquale. Plinius graphicè candore & rotunditate margaritas referre dixit. Nostrum autem Lithospermon multo minus quàm Dioscorides & Plinius tradiderunt semen profert, quod soli diuersitati acceptum referendum erit. Radix etiam Lithospermi, quod adijciendum esse arbitror, exteriore sui parte rubore perfunditur.

LOCVS.

Lithospermon asperis & sublimibus locis gaudet. Satum etiam in hortis prouenit.

TEMPVS.

Floret Iunio & Iulio mensibus, eoq; tempore semen etiam profert.

D

TEMPERAMENTVM.

Semen Lithospermi, cuius maximè usus est, calidum & siccum esse facilè ex eiusdem facultatibus conijcitur. Omnia siquidem urinam cientia, Galeno lib. v. de simpl. medicam. facult. cap. xij. teste, calida & sicca sunt.

VIRES. EX DIOSCORIDE.

Semen cum uino albo potum, calculos frangit, & urinam ducit.

EX PAVLO.

Semen cum uino albo potum, calculos conterit, & urinas pellit.

EX PLINIO.

Lapillis eius drachmæ pondere potis uino albo calculos frangi pelliq; constat, & stranguriam discuti.

DE LYSI-



LITHOSPERMVM